



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Tit. XIV. De Clericis In Duello Pugnantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

stis, affessor, sive Notarius sententiam scribens, sive miles, efficiantur irregulares, *can. Aliquantos* *Et can. Si quis 31. dist. cap. Sententiam sup. Ne Clerici vel monachi &c.* Cujus ratio in eo consistit, quod omnes sacri Ordines, quorum susceptionem ac ministerium irregularitas impedit, destinentur

ad sacram Eucharistiam. Illa autem cum sit Sacramentum pacis, quam sanguine effuso peperit nobis Redemptor, & homicidium maxime paci seu unitati adveseretur; honesta suadet ratio, ne ministri hujus Sacramenti fiant homicidæ, crucifigentibus magis similes, quam crucifixo.

TIT. XIV. DE CLERICIS IN DUELLO PUGNANTIBUS.

SUMMARI.

1. Duella cur prohibita, & cur suscipi solita.
2. Concilii Trid. decretum in duellantes.
3. An casu aliquo tolerentur.

Sed & singulare certamen, à Latinis Duellum, à Græcis Monomachia appellatum, res est illicita, pravata vindictæ & homicidio subserviens, eoque ferè sine, sicut & ferri candentis attritatio, suscipi solet, ut subortæ controversiæ, dum aliter id fieri non poterat, imponeretur exitus, isque justam causam foveret vulgi opinionem, qui prævaluisset. Barbarus ille mos est, & per superstitionem inventus, cum nec Deus, qui hoc modo tentatur, neque natura ad talem finem tale destinaverit medium, *c. Diligenti & cap. Significantiibus inf. De purgat. vulg.* ubi ceciderunt, qui postmodum deprehensi fuerunt justis, nimirum laici. Ut mirum non sit, si majori ratione Clericis duellum interdicitur, pœnam depositionis merentibus, sive per seipsos id faciant & occidant, sive non, *cap. 1. hoc tit.* sive per aliam pugilem a se sub-

stitutum, cum per seipsum agere intelligatur, qui per alium facit, *cap. 2. hoc tit.* Quibus interim locis Pont. facit potestatem Episcopo, ut ex quadam commiseratione dispenset, saltem cum eo, qui per se non occidit aut mutilavit.

Quin & jus novissimum Concil. Trid. *in cap. Destabilis duellorum usus Sess. 25. de reform.* non solum Imperatores, Reges & Principes, quia suis Provinciis singulare certamen tolerant, sed & pugnantes & patricos (ut vocant) & consules & spectatores excommunicat; privans etiam ecclesiastica sepultura illos, qui ceciderunt.

Aliud fortè erit, si suborto bello, ut patitur multitudini, duo Principes concurrant, maxime si alter ad resistendum sit impotentior, uti docet Navarr. post Cajetanum *in Enchiridio cap. 2. nu. 8.* Quod autem solus cum solo David & Goliath sint congressi, id divino instinctu dicitur factum, *Et in d. cap. Significasti ad V. aliquatenus.* Eà ratione Jacob à mendacio, Sampson ab homicidio sui ipsius, Israëlitz à furto, Patriarchæ & alii, qui plures duxerant uxores, ab adulterio, sunt excusati, ut ait textus *in cap. Gaudemus sup. De divorciis.*

IN TIT. XV. DE SAGITTARIIS.

SUMMARI.

1. Pœna sagittariorum.
2. Quando sagittis seu balistis ut liceat.

Pari ratione sunt irregulares, insuperque excommunicationis pœnam incurruunt, saltem ferendæ sententiæ, si non latæ, qui ubi, quando, qua ratione, & adversus quos non oportet, balistis utuntur, artem que sagittariorum exercent, *cap. unico hoc tit.* quia nimirum rei tunc illi-

citæ dant operam. * Sed si fortè miles sit, qui in bello justè moto, ut hæresis opprimatur, ut injuria castigetur, ut res iniquè ablata recuperetur, illis velit uti, non peccabit, quia perinde est quæsumat arma, proinde etiam dolo an virtute hostem superet, *can. Dominus noster xx3. 11. quasi 2. Ita fit, ut res indifferens, mutatis circumstantiis, & præsertim, quæ præcipua circumstantiarum est, sine, nunc bona reputetur, nunc prohibita.*

IN TIT.